



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Manuale Parochorum, Sive Institutiones & Praxes Tum
Vitæ, tum Officii Pastoralis**

Musart, Charles

Monachii, 1654

IV. Stipendium non exigendum duriter, nec importunè.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41616

Pars secunda. 6;

Habitus sit decens , & Sacerdotalis :
Locus communiter sacer. Si Sacra-
mentum aliō deferendum , id age re-
uerenter : indecora est nimia festina-
tio ; si tamen necessitas vrgeat , quan-
tum opus est , non tantūm curr e, sed
vola. Cum Eucharistiā festinandum
lentiūs in publico ; nunquam autem
opinor incidet tantæ festinationis
causa, vt non liceat vestem clericalem
saltem iniicere , ne vt seminudus , vel
semifatus prodire debeas : si quem
ex vrgenti maturatione offendit ad-
uerteres , causas ede , vt mirari desinat.

NVM: IV.

*De Stolâ, sine Stipendio ob Sacramenta
administrationem.*

Quibusdam in locis vetatur , ne
ob Sacramenti administrationem
aliquid directè , vel indirectè exigatur,
ad tollendam Simoniacæ labis , vel
saltem auaritiæ suspicionem. Alicubi
istud permittitur , quantum scilicet vel
lege,

lege , vel consuetudine taxatum est,
(stolam aliqui vocant.) Tu si eo loco
sis , quia licitum , modò iustum , reci-
pere poteris : sed exigere ante mini-
sterium , sordes olet: imò etiam ope-
râ præstitâ altercari contentiosè ad
extorquendam solutionem , turpicu-
lum est : conuenientius deferes ad tri-
bunal Episcopi eum , qui soluere re-
cusaret pertinaciter ; cùm soluendo
sit: à pauperibus oblatum etiam re-
spue, iis gratis dandum , quod gratis
acepisti. Decet nonnunquam medi-
ocris fortunæ hominibus aliquid re-
mittere , præsertim pro Sacramento
necessitatis, si commode premium con-
ficere non possint pro operâ ; neq; ea
liberalitas propterea præiudicium
adferet successori. Si nonnunquam
ditiores supra consuetum offerant
acceptare potes , modò spon-
te suâ donent.

NVM: